

tim populus, & religiosissimi quique Principes recipere, asperum tamen, angustum, & multorum persecutionibus incommodum vitæ genus agebant. A Populo segregati plerumque sedes habebant in agro, vel in coetu Discipulorum suorum, nunquam non intenti sine manuum labori, sine precibus, sine studio, sine institutioni. Quanquam non ita operi erant addicti, ut eas artes exercerent, siue quæ nimis mentem elevant, siue quæ spiritus libertatem Prophetæ necessariam impedirent. Elifeus ad munus prophete vocatus, aratrum dimisit 3. Reg. 19. Zacharias 13. 5. ait: *Non sum propheta, homo agricola ego sum*; & Amos 7. 14. vocatus à Deo ad munus Prophetæ, respondit se prophetam non esse, quippe qui pastoritiam exerceret, & ficulneas curaret. Filii, siue Discipuli Prophetarum, sub Eliæ, & Elisei institutionibus viventes, ipsi sibi cellulas casâ ad id lignorum strue ædificabant (c).

c 4. Reg. 6. 1.

4. . . .

d 4. Reg. 1. 8.

Elias confectum è pellibus vestimentum induebat (d), nec alio plerumque cæteri Prophetæ, cum Zacharias 13. 4. de Pseudo-Prophetis, verorum Prophetarum habitum non mores imitantibus, pronuntiavit: *Nec operientur pallio sacco, ut mentiantur*. Sacco etiam vestiti inducuntur in Apoc. 2. 3. Reliquum vitæ genus vestibus respondebat. Quæ solebant pauperibus dari munera, hæc etiam Prophetis data sunt, uti panis [e], & primitiæ (g).

e 1. Reg. 9. 7. 8.

g 4. Reg. 4. 4. 2.

h 4. Reg. 4. 19.

Angustum illud Elisei conclave frugi admodum, & modestâ supellestili Sunamitis intravit (h). Nec ille sanè ditiores permisisset, qui opulentis Naamani muneribus recusatis, Giezi ea acceptantem diris devovit (i). Quantum à foeminis abhorrent, exemplo Elisei in hospitam suam discimus; nunquam enim cum illa, nisi Giezi ministerio, loquutus est. Verebatur in super foemina coram Propheta se sistere, & cum tandem amor verecundiam vicisset, volentem Prophetæ pedes tangere. Giezi prohibuit (k). Non tamen omnes æquè Prophetæ continentiam sectati sunt, namque de uxore Isaiæ sermo est 16. 3. & Osee Ose. 1. 2. ac tandem de conjugæ alterius Prophetæ, quæ, amisso viro, græ alieno, impar aliqui solvendo, gravabatur 4. Reg. 4. 1. Sed in coetu Prophetarum nullus erat foeminis locus. Quam verò frugi vitam ducerent, ex universa eorum historia satis intelligimus. Scitum est quid de colocyntidibus ad fratrum refectioem paratis narratur 4. Reg. 4. 38. 40. Eliam iter agentem Angelus solo pane, & aquâ pavit (l). Habacuc pulmentum tantummodo Danieli attulit [m]. Abdias solo pane & aquâ Prophetas in cavernis latentes aluit (n).

i 4. Reg. 5. 26. 27.

k 4. Reg. 4. 27.

l 4. Reg. 19. 6.

m Dan. 14. 32.

n 4. Reg. 18. 7.

Non rarò Adversarios in se provocabant Principes, quorum scelera liberioribus verbis castigaverant. Nec æquiores experiebantur Populum universum ex correpta ejus impietate concitatum. Plures violentâ morte oppressi sunt; alii dissentientibus (Græcè, fustibus cæsi sunt) non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent

resurrectionem. Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circueverunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti; quibus dignus non erat Mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ. Inter tot mala, & ludibria præsentissima, tamen Spiritus libertatem possidentes, mortem temnebant, obviam procurrentes discriminibus & tormentis, Dei semper Legem vindicantes, contemnentes divitias, hominumque favores & dignitates, eâ spiritus virtute, quæ Adversarios terreret omnes, & in desperationem adigeret.

Eorum Ædes, & Discipuli tutissimum erant contra impietatem præsidium simul & asylum. Eò consulendum Dominum veniebant, eò ad audiendas Legis lectiones (o). Palestiæ erant virtutis, & innocentie sedes. Quanquam prophetie gratia, non industrie studii, seu voluntatis humanæ merito obtineatur, plerumque tamen solebat Deus Spiritum suum filiis, seu Discipulis Prophetarum communicare, siue morum puritate & sanctitate delectatus, siue quòd ad sapientiam & societatem Prophetarum invitatio, præludium esset conferendi nox prophetiæ spiritus divinitus datum.

Non desunt inter Rabbinos, qui prophetiæ gratiam referant ad indolem, studium, variisque exteriores rerum causas [p]. Ut aliquis, inquit, in Prophetam assurgat, referre oportet à natura vividam phantasiam, ratiocinandi solidam facultatem, studio instructam, validamque corporis habitudinem. Debet autem collatas à natura dotes indefessâ studii exercitatione excolere; alienum se continere à voluptatibus, simulque temperate se à cibo potuque. Ne quis in ea re proficiat, unicè obitant agitata vehementibus animæ passionibus commotiones; furor, tristitia, dolor, exilium, divitiarum opulentia, & dignitatum titillationes Divini Spiritus impressiones in anima Prophetarum impediunt. Eâ ratione persuasi Hebræi, Danielem & Davidem è numero Prophetarum subducunt, alienam nimis ab agresti, & simplici Prophetarum consuetudine vitam agentes. Quamvis autem hæc ita se habeant, arbitrantur vicissim spiritum prophetiæ nunquam residere, nisi super homines sapientiâ, divitiis & potentiâ præstantes.

Sed illud incommodi hisce Hebræorum animadversionibus accidit, ut omnes fermè Scripturæ auctoritati repugnantem deprehendantur. Maxima Prophetarum pars tenuissimi erat census; nec desunt exempla, quibus aliquando loquutum Deum per viros scelestissimos discimus, uti per Balaam, & Caipham, de quibus legimus Matt. 7. 22. *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* Quæ dicunt de ira, tristitia & dolore, hæc sanè magis congruere possunt veritati, cum vehementes animæ agitationes S. Spiritus impressionem aliquando prohiberint, ut exemplo Elisei in-

o 4. Reg. 4. 17.

p Maimon. more Nebotim p. 2. cap. 8. & 32. & 36. & Grot. ad Sap. 7. 27. Vide Kmebi & Ligfoot. & Basnag. histor. Judæor. l. 6. c. 18. Gallicè.

\* 4. Reg. 3. 15.

intelligimus, qui indignatione quadam commotus, agitationi Spiritus sopientiæ, musici cujusdam instrumenti cantorem adhibuit (\*). Quod autem de exilio addunt, nihil planè ad rem; cum David Saulem persequentem, sicut & filium Absalomum arma inferentem fugiens, plures psalmos didicerit; & Jeremias, Ezechiel & Daniel in ipso exilio & captivitatis dolore ab oraculis fundendis non abstinuerint. Extant etiam Cantica longè plura à Sacerdotibus & Levitis in captivitate Babylonica concinnata.

Est itaque prophetia gratis omnino, & intrâ humanæ industriæ meritum concessum à Deo donum, quamquam aliqui nec studium, nec indefessam mentis intentionem excludat. Res enim obtinenda est precibus, vitæ innocentia atque assidua in refræandis passionibus exercitatione. Daniel nec à precibus, nec à jejunio cessabat, ut eorum merito revelari sibi misterium septuaginta hebdomadam Jeremias obtineret [q]. Jeremias Spiritus Sancti opportunum illapsum precariò impetravit (r). Zacharias in studio prophetiæ gnavit se exercuit (s); eandemque veterum Prophetarum fuisse occupationem S. Petrus Ep. 1. c. 10. 11. testatur. Omnem illi reponere curam, ut virorum divinum oracula assequerentur; quare singula discutientes, tempora & occasiones notabant singulorum, qui propheticè Spiritu enunciabantur, eventum. Daniel futuri Sanctorum statûs oraculum minimè assecutus, pandi sibi illud rogavit; qua de re Angelum respondentem audivit, ut temperaret, quippè quæ arcana essent non nisi præstituto divinitus tempore revelanda [t]. S. Joannes Apoc. 5. 4. per visum spectâ vit clausum quoddam volumen, nec à lacrymis temperare potuit, eo quòd nemo illud aperire valuisset.

q Dan. 9. 2.

r Jerem. 33. 3.

s 2. Par. 26. 5.

t Daniel. 12. 8.

Ego audivi & non intellexi.

Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc?

u 1. Regum 16. 5. 6.

x Gen. 27. 22. 23.

y Gen. 48. 18. 19.

z 2. Regum 7. 3.

a 3. Regum 13.

b 4. Reg. 4. 27.

Non rarò Deus alteri revelavit, quod alteri non permiserat. Samuel primò autumaverat, Regnum Israelis destinatum à Deo juveni natu majori inter liberos Isai (u). Jeremias 42. 5. &c. revelari sibi à Domino poscens quid reponeret Judæis se post captam Jerosolyamam consulentibus, cum orationi decem dierum spatio infutisset, voti tandem compos factus est. Isaac benedictionem suam Jacob, quem Esau filium suum natu majorem credidit, largitus est (x). Jacob Ephraïmum fratri præponendum censuit, contra Josephi sententiam, quamquam aliqui Joseph communem cum patre Prophetiæ spiritum habebat (y). Nathan Davidem è sua sententia allocutus, probari à Domino dixit ejus consilium de Templi ædificatione (z). Propheta ille ad Jerooboamum Regem Israel missus, primò quidem Spiritus Sancti verbis locutus est; deinde tamen dolo cujusdam Pseudoprophete decipitur (a). Fatetur Elifeus, celatam sibi à Domino doloris foemine Sunamitidis hospitiæ suæ causam. Tandem si Dei Spiritus præsto semper Prophetis fuisset, ut quid phrasæ illæ in eorum scriptis familiarissimæ, Spiritus Domini, siue manus super me [b]? Hæc sa-

nè argumento sunt apertissimo, ait S. Hieronymus in Ezech. 11. [c] ob humanam fragilitatem & vitæ hujus necessitates interdum ( Spiritum Sanctum ) recessisse ab eis.

Cum autem Spiritus illapsus pateretur, ejus tamen cæstro non adeo rapiebantur, quin resistere valuissent. Factum id quidem scimus cum Sacerdotibus, & foeminis Sacris Deorum initiatis, quos adeò impotenter raptos legimus, ut ne resistere quidem possent, etiam si maxime voluissent; mentis enim & sensuum impotes facti, ne loquendi quidem liberam habentes facultatem, tanquam mera automata agebantur. Spiritus Prophetarum, ait Apostolus 1. Cor. 14. 32. *Prophetis subiecti sunt*. Et Ecclesia Montanistarum errorem damnat, tributium Prophetis utriusque Testamenti ea, quæ de Pseudo-Prophetis tantummodò, siue Sacerdotibus Apollinis feruntur, ut scilicet Spiritus mali agitationibus impotenter raperentur (d). Nostrum enim Prophetæ quietum placidumque Spiritus Sancti illapsus recipiebant, & in tranquillo ac sereno mentis culmine manentes, altâ cordis pace fruebantur. Ipsi sui compotes erant, debita tantum in Deum observantiâ inducti ad loquendum, ut Spiritus Sancti ductum sequerentur. Si forte Spiritus, quo animabantur, operatione, ignota sibi arcana quædam exprimerent, latentis sensus expositionem supplices deprecabantur, quemadmodum factum legimus à Daniele 9. 22. 23. & 10. 1. &c. & Zacharia (\*). Neminem Deus invitum ad Prophetiam cogebat. Jonas sese in tutum recepit, ne ad Ninivitas, quò à Deo mittebatur, verba faceret (e). Isaias 6. 8. 9. ipse se ultrò obtulit, ut munus Prophetæ obiret; Moyses verò, & Jeremias (f) illud à se manus deprecabantur.

c Vide & Epist. ad Damasum 9. 3. Orig. in Num. hom. 6.

d Vide S. Hieron. Prefat. in Isa. in Nahum, in Habac. Orig. 10. 6. in Jo. & l. 7. contra Celsum. Ambros. in Ps. 39. Chrysol. & Basil. in Ps. 44. 2. &c.

\* Zach. 1. 9. & 4. 4. & 6. 4. 5.

e Jonas 1. 2. 3.

f Exod. 3. 11. &c. Jerem. 1. 5. &c.

ARTICULUS IV.

Prophetia veritati Religionis asserenda confert. Prophetarum certa fides apud Hebræos. Dotes veri Prophetæ.

Cum eò potissimum spectare noverimus Prophetiam, ut latentia luminâ naturali arcana revelet, unicè à Deo repetendam apertissime constat, ut nunquam proinde sine vera Religione esse possit. Poterit quidem Satanas latentia hominibus arcana quandoque revelare, poterit latentes, sed à causis sibi exploratis suæque potestati subiectis, effectus prædicere; sed verum Prophetam agere non poterit. Ad Prophetiam enim spectat res proorsus latentes apertâ quâdam certâque fide revelare, quamquam aliquin nullam habeant cum causis secundis atque naturalibus conjunctionem. Nihil enim contra nature leges audeat Astronomus, si futuram solis eclypsim; nihil Philosophus, si pendentem à causis sibi exploratis effectum prædixerit. Verum si vatem prædicentem audiamus fortuitum quemdam effectum, è causis liberis, & in utram-

utramque partem dispositis pendente; id autem pluribus ante saeculis ab illo revelatum constet; si ortum hominis, cuius ipse nomen, victorias, res gerendas, obitumque praenunciaverit; si prodigium aliquod praesentis temporis circumstantiis prorsus repugnans; nihil ego tunc humani suspicor, sed omnia ad Deum duxerim referenda: apertissime illud verae Religionis argumentum agnoveris, utpote omnium prodigiorum maximum & supra hominum fidem.

Annunciato qua eventura sunt nobis, ait Isai. 41. 23. ad Idola, in futurum & scimus quia Dii estis vos. Aruspices Babylo-nii ultrò fatebantur rerum futurarum ar-cana Dei esse non hominis pandere [g]; & Daniel post expansum Nabuchodonoso-ris somnium, cultui ab eo Principe & Sa-crificiis non impar habitus est (\*). Fate-tur insuper idem Rex, Danielis Deum cae-teris omnibus praestitisse: aded verum est illud Tertulliani Apolog. cap. 20. Testimo-nium veritatis est veritas Divinationis.

Ea persuasione inducti primi illi Idolo-latriæ Authores, Numinum Mystra, vete-reque legum Conditores è re sua esse censuerunt, si leges, tanquam oracula, & caeremonias tanquam revelatos sibi di-vinitus ritus proponerent; summamque con-ciliarunt famam Magiæ, Divinationi, Au-guriis, & Pseudo-Prophetiis. Minos di-dicitavit post consultum integro novennio Jovem, legem Cretensibus scripsisse. Ly-curgus datus à se legibus auctoritatem apud Lacedæmones conciliaturus, tanquam oracula Delphici Apollinis tradidit. Nu-ma Pompilius consuetudinem simulavit cum Ægeria Nympha. Oracula omnia sum habebant peculiare Numen; nihil enim re-liqui fecerant Sacerdotes illa procudentes, ut populum in ea persuasione detinerent. Ea animorum dispositione usus Dæmon ambiguis quibusdam oraculis credulos fal-lebat. Callidè qui illa composuit oracula, perfecit, ut quodcumque accidisset, prædictum videretur; & hominum & temporum des-tinatione sublatâ adhibuit etiam latebram obscuritatis. Cicero de Natura Deorum lib. 2.

Hebræorum Prophetis nihil tale invidiam, & suspensionem creabat; non error, non ambiguitas, non dolus. Prophetiæ veritatem eventuum fides probabat. Pro-pheta, qui vaticinatus est pacem, ait Jerem. 28. 9. cum venerit verbum ejus, scietur Pro-pheta. Et Dominus per Moysen ad popu-lum loquutus Deut. 18. 22. Hoc habebis, ait, signum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenierit: hoc Domi-nus non est loquutus, sed per tumorem ani-mi sui Propheta confinxit. Infestissimi Chri-stiani nominis Adversarii nunquam tamen id committere potuerunt, ut oraculorum Veteris Testamenti asserere eventu fidei re-fragarentur. Porphyrius l. 12. in Daniele apud S. Hieronymum Præf. in Dan. contendit, eam, quam Danielis nomine habemus, prophetiam ab Authore quodam sub Antiocho Epiphane post rei eventum pro-cusam esse: quod quidem viri impii dicte-rium id saltem probat, eorum Oraculorum

g Dan. 2. 11. Non invenitur quiquam, qui indicet illum in conspectu Regis excipit Diis, quorum non est cum hominibus conversatio. Vide Hieron. in eum locum. \* Dan. 2. 46.

aded apertam esse ab eventu fidem, ut denegari eorum veritas nullâ aliâ ratione nisi apertissimo commento poterit. Com-mentum est enim putidissimum, quod Por-phyrius excogitavit de procusis post even-tum Oraculis.

Palàm in ipsa populi frequentia loque-bantur Prophetæ, sive in Templo, sive in Aula Principum, sive in foro, sive in via, sive in portis Urbis (h). Quare si quid errare illos contigisset, malæ fidei plures nacti fuissent testes & accusatores. Neque palàm loqui contenti, Oracula sua scriptis mandabant, legenda singulis tradentes; quin & ipsi coram frequenti populi con-cione recitantes. Ex his etiam quadam in publicis gentis Commentariis ad perpetuam rei memoriam scribebantur. Inter-dum testes in scribendo adhibebant, at-que scripta suo nomine, & temporum notâ consignabant Isai. 8. 2. Jubebantur inter-dum à Deo Oracula illa in scripta redige-re, ut certa constaret Prophetiæ fides cum eventu collata (i). Addebant exactam anni & diei adscriptionem. Quot sanè testes contra illas, si quid veritati repugnasse de-prehenderentur? Ezechiel (\*) ad ripas Chaboræ, longissimo à Jerosolyma inter-vallo constitutus, certam diem totamque obsidionis ejusdem urbis historiam profe-quitur (k): scribebat autem imparatus & veluti tumultuario opere. Quæ immedi-tatis succurrebant, hæc currenti stilo di-ctabant [l]. Ex ore suo loquebatur, quasi legens ad me omnes sermones istos. Deus eorum verbis loquitur, minitatur, instruit; semper tamen supremi gradus majestate servatâ. An hominum industriâ fieri un-quam potuisset, ut paris semper dignita-tis & majestatis tenor in eorum scriptis regnaret? Idem semper in illis veritatis, & equitatis character, vix calliditate & dolo exprimendus; sententiarum gravitas, & periodorum majestas, vis, & efficacia talis emicat, qualem nunquam fraus & im-postura assequeretur. Rarè illi argumentis, aliisque ad persuadendum artificis utuntur. Veluti legatione Summi Numinis fun-gentes, imperiosâ quadam gravitate sive verba ad Principes habuerint, sive ad populos, loquuntur.

Quamquam Pseudo-Prophetarum nume-rus apud Israelitas plus nimio excrevis-set, nunquam tamen eò temeritatis vene-runt, ut oracula sua scriptis tradere au-derent. Metuebant ne tandem fallente oracula eventu, fraudis suæ pœnas luere cogerentur (m). Nullum faciebant finem exclamandi in seductores illos veri Pro-phete omnes, æquè Principes & Magistratus in eos animantes, turpia, si quæ commis-sissent, gesta omnia exponentes, ac tan-dem imminentes eorum exitus denuncian-tes (n). Ferebant vicissim in locos pro-phetiæ laudis testimonium (o). Alter al-terius Oracula laudabat, quin & ejus ute-batur auctoritate, cum sibi de eodem ar-gumento agendum fuisset (p). Iste planè oraculorum consensus ac revelationum af-finitas apertissimum, si aliud ullum, sin-ceritatis, & veritatis est argumentum.

h Jerem. 25. 2. & 27. 16. & 44. 24.

i Isai. 30. 8. & 34. 16. Da-niel. 12. 4. Je-rem. 30. 1. 2. \* Ezech. 20. 49. & alii passim. k Ezechiel. 24. 2.

l Jerem. 36. 18.

m Deut. 13. 5.

n Ezech. 13. 17.

o Ezech. 38. 17.

p Michas 4. 1. & c. Isai. 2. 3. 4. Jerem. 48. 19. Isai. 16. 6.

Cum

Cum Prophete Judæis futurorum ora-cula panderent, sive Spiritu Prophetico agebantur, sive non, ait Origenes contra Celsum l. 1. Si futura annuncianda sumpserunt, id planè sine peculiari Dei inspira-tione fieri non potuit; si verò nullam futu-rorum scientiam habebant, quinam fieri potuisset, ut in tantam opinionem apud Hebræos devenirent? Qua planè hebetu-dine Hebræi fortuito casu oracula funden-tes admirabantur? Addit etiam Origenes, ad sinceritatem Judæorum Prophetarum demonstrandam, nunquam fieri potuisse, ut gens illa in medio Paganarum gentium, consulendis Divinis & Aruspiciis addi-tissimarum, à Prophetis se continerent. Si enim, inquit, Israëlita uni inter omnes Prophetas pro rebus publicis pri-vatisque consulendis caruissent, vix se potuissent continere, quin ad Divinos, & Oracula Paganorum, sive in medio gentis constituenda, sive saltem consulenda con-fugerent. Quare Moyses cavens ne Judæi Magos consulant, alterum sibi parem Pro-pheta à Domino suscitandum pollicetur. Et volentibus falsos Deos consulere expro-brant Prophetæ, uti olim Elias ad Legatos Regis Ochoziæ 4. Regum 1. 3. Numquid non Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron?

Et l. 3. contra Celsum idem Origenes ita eâ de re differit. Non fortuito planè casu Prophetæ Oracula plenâ deinde fide impleta fuderunt, ut de ortu Messia è Vir-gine parente, de passione, necè & resur-rectione ipsius. Neque etiam temerè ege-runt Judæi, cum, Prophetis aliis rejectis, alios summo honore receperunt, ut eorum scripta eodem loco ac Mosaica haberent. Qua enim ratione potuissent inviolatam Religionem suam servare in medio gentium versantes, quæ Oracula sua jactabant, nisi peculiaries habuissent in sua Republi-ca Prophetas? Prosequitur deinde eorum-dem Prophetarum laudes, qui omnia in-suum caput mala provocare potius malue-runt, quam Sancti Spiritus incitamen-tis de annunciandis populo Oraculis, at-que posteritati tradendis, resisterent. Cele-brat etiam gentis Judaicæ constantiam, quæ capitis sui dispendio avitæ Religioni Scripturarum auctoritate atque prodigiis suffulta adhæsit: aded verum est Religio-nem illam nec hominum arbitrio neque la-scivientis ingenii pruritu invecram stetitisse.

Eodem argumento utitur Lactantius (q), Hebræis Prophetarum oraculis asserendis, nempe & rerum illa eventu, & inter se consensu prætare. Nihil, ait ille, istis ora-culis gravius, nihil in illis suspiciosum. Quis porò in animum induxerit, fieri unquam potuisse, ut quispiam non futu-ros tantum eventus prædicandos sibi sum-puisset, sed neque satis coherentes, & uni-formes scriberet sententias, dum furore emotam mentem agitatumque spiritum ad res didandas conferebat? Quid, rogo, magis à Prophetiæ spiritu alienum, quam decipiendi consilium, cum Propheta nun-quam non laboraverint, ut homines à Spiritu deceptionis removerent; cum ad

prædicandam veritatem missi omnem ponerent curam, ut imposturam, & mendacium omne eliminarent? Lucelli amor & sa-cra auri fames homines plerumque ad de-cipiendi consilium inducunt. Absint for-des illæ à Prophetis, quos amor muneris sui obeundi eò quandoque deduxit, ut necessaria etiam sæpè ad vitæ susten-tationem obliviscerentur. Aded à co-gendis divitiis animum habebant alienum, ut necessariam etiam diurni cibi curam se-pissimè exuerent. Deus sibi sustentandos certo temporis articulo eos viros suscipie-bat, cujus illi providentiæ aded defere-bant, ut nec inquietum, nec sollicitum eâ de re animum habere sustinerent. Munus autem gerebant hominibus infestissimum, quod in viros illos non rarè tormenta inducebat, & mortem; aded erant impiis invisi cæteroque hominum generi minus jucundi. Adde insuper non de-fuisse inter Prophetas, qui supremâ Regi-æque dignitate eminent, longissimè proinde ab omni cupiditatis & seductio-nis suspicione remotos. Hæc Lactantius Di-vin. Instit. lib. 1. cap. 4.

Sed quinam, inquit, characteres veri Pro-phete, quibusque potissimum indicis à seducto-ribus fuerant discernendi? 1. Dum eorum dictorum fides cum eventu constaret, nihilque proderent Religioni rectisque mo-rum legibus repugnans. Eâ enim condi-tione secreta, eventus sinceritas non usque aded asertam Prophetiæ fidem reddebat, uti observat Moyses Deut. 13. 1. & c. Si surrexerit in medio tui Prophetes aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum evenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos... non audies verba Pro-pheta illius, sed virum impium interficies. Cautiores etiam contra Pseudo-propheta-rum & Confictorum miraculorum alius nos reddens Jesus Christus Matt. 7. 15. & 24. 24. judicium de illis ex eorum operibus in-spectis & doctrinâ capiendum præcipit. Si Angelus de Cælo aliter ac doctrinam ab Apostolis traditam docuerit, hunc diris devovendum Apostolus ad Galat. 1. 8. man-dat. Nihil igitur habenda sunt miracula, nihil impleta oraculorum fides, si recta, sanaque doctrina tradita à priscis Prophe-tis conformis non fuerit. 2. Vocandus est etiam à Deo quicumque ad Oracula fun-denda se confert; ejusdem vocationis & missionis documenta sive prodigiis sive Ora-culis certâ fide impletis exhibuisse oportet; vel si omnia absuerint, debet saltem à Prophetis supremoque Religionis Anti-stite probari. 3. Facile etiam inter ve-ros Prophetas habendus fuisset probus ali-quis, sanæ mentis, sapiensque vir, ab omni cupiditatis & ambitionis suspicione alie-nus, qui sermones suos omnes certo quo-dam veritatis atque Divinorum Oraculo-rum sapore asperxisset.

Ultrò quidem fatemur, vitæ frugi atque modestæ characterem non necessarium esse sinceræ prophetiæ argumentum; cum nota sint virorum quorundam scelestissimo-rum exempla, quibus Deus, in promen-dis

q Lib. 1. de divin. Instit. cap. 4.